TOMI I. PARS XVII.

MAURITII DE PRAGA
CLARISSIMI
IN CONSTANTIENSI CONCILIO
THEOLOGI

CONSILIUM
DE
ECCLESIASTICO STATU
IN CONCILIO CONSTANTIENSI
MATURE EMENDANDO.

FELICISSIMIS AUSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI
DN. RUDOLPHI AUGUSTI
BRVNSVIC. AC LUNÆBURG.
DVCIS &c.

Ex antiquissimo Codice MSCto
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ
VINDOBONENSIS
recensitum ab
HERMANNO von der Hardt/
Acad. Jul. Professore.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.
HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MSC. Vindobonense
Tomo IV. Actorum Concilii Const.

* *
*

Sermo
Magistri
MAURITII DE PRAGA
sacræ Theologiæ Professoris,
factus
IN GENERALI CONCILIO
CONSTANTIENSI.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

HERMANNUS von der Hardt

Lectori S.

STEPHANI DE PRAGA latus ut in Concilio ita & in hac Concilii Historia claudit *Mauritius de Praga*. Solennis *Mauritii Oratio, in Constantiensi Concilio habita*, ejusdem argumenti, nec minoris ponderis, ac *Stephani*. Tantoque omnino videbitur sincerior in his orationibus affectus, in *cleri emendationem* collimans, quanto est manifestius, clarissimos hos viros ejusdem fuisse ordinis, utpote sacræ professionis. Ut *sui ordinis homines*, non alterius fori, isthac tempestate penetranti Concilii universalis ope *emendatos cuperent*.

Clarissimus hic Theologus, *Mauritius de Praga, ad primitivæ Ecclesiæ formam*, primasque sanctiones Ecclesiasticas, adaptare suasit *reformationem Ecclesiastici status* Constantiæ quæsitam. *Causas* verò dissidii Ecclesiastici in concilio componendi *arrogantiam* perstringit ac *simoniam*. Qui fontes ceterorum in Ecclesia malorum extiterant. *Bonarum literarum culturam* in clero sui temporis vehementer desideravit. *Probitatem* denique majorem Ecclesiasticis personis commendavit. Opem Concilii in his rebus omnibus serio imploravit.

Debemus & hoc *præclarum antiquitatis monumentum AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSI*. In pretiosissimo quippe *Dorriano Codice MSCto, fol.* 207. nobile hoc opusculum consignatum deprehendimus.

Ceterum, ut tanto major his rebus affundatur lux, ac tota *faciès Ecclesiæ illius temporis* clarissime ob oculos ponatur, veritate *plurium testimonio* roboratâ: Non ingratum posteritati fore confidimus, si consonam addiderimus aliam *Petri de Bruxellis Orationem*, illa fere ætate de grandi illo *Simoniæ vitio* habitam, quæ in eodem *Codice MSCto Vindobonensi f.* 147. est asservata.

Etsi verò definire haud sustineamus, integrane sit oratio, & quo anno sermonem hunchabuerit *Petrus de Bruxellis*, & an ipsius Concilii celebritatem attigerit: Sufficere tamen credimus, seculi illius faciem, *Simonia* maculatam, hinc quoq; cognovisse plenius.

SERMO
Magistri PETRI DE BRUXELLIS,
Sacræ Theologiæ Baccalaurei formati.
Qvod clerus patietur notabiliter.
Ex antiquissimo Codice MSCto
BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.

SCiendum est, quod exercitatis in Sacra Scriptura ita notorium est, *quod Ecclesia patietur*, quod ad hoc allegare superfluum videretur.

Sed circa hoc quatuor sunt videnda. *Primo*, quid sit futurum de hac tribulatione. *Secundo*, de ejus acceleratione. *Tertio*, de falsa super hoc existimatione. *Qvarto*, de hujus tribulationis salubri consolatione.

Imminentia Clero pericula.

Circa primum *duæ regulæ* præmittuntur, quæ in sacris Scripturis clare fundantur.

Prima est, quod per duo regna gentis Hebræorum, videlicet per regnum Israel, cujus caput erat Samaria, significatur in Prophetis *synagoga*, & per regnum Juda, de cujus stirpe natus est Christus, à quo nos veri Judæi sumus secundum Apostolum, & per Hierusalem, quam habuit, illius regni metropolitanam, designatur *Ecclesia*.

Exemplo Israëlitarum.

Alia regula est, quod per *meretricium*, seu fornicationem intelligitur *Simonia* & *abusiva dispensatio*, atque *promotio*, *quæ fit lucri causa*, seu alio adulterino favore. Meretricium namque dicitur à mercede, quo venditur id, quod natura fecerat non venale. Qvale est, *dare aliquid pro pretio, quod erat debitum pro virtute.*

His duabus regulis, tanquam duabus clavibus referatur nobis & aperitur intellectus Scripturarum, super *statu Ecclesiæ præterito & futuro.*

Exempli causa videamus, quid Dominus per Ezechielem sub nomine Hierosolymæ huic Ecclesiæ loquatur dicens: *In die, qua nata es, vidi te conculcari in sangvine tuo*, ubi loqvitur de sangvine martyrum. Et seqvitur: *Et multiplicata es, & grandis effecta, & mundavi sangvinem tuum ex te*, scilicet ex castigatione persecutionis; *Et dedi coronam in capite tuo, & ornata es auro & argento, & vestita es bysso*, & cætera multa subdit de proprietate Ecclesiæ. Seqvitur: *Et habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es in nomine meo.* Qvod de fornicatione prædicta, seu alia carnali quacunqve potest intelligi. Et post omnes abusiones tuas *non es recordata dierum adolescentiæ tuæ*, scilicet de statu primævo, quando eras nuda, id est, pauper & conculcata in sangvine tuo. *Et abominabilem fecisti decorem tuum.*

Cleri corruptio.

Ecce, quam lucide prædicitur *Ecclesiæ depravatio.* Et statim seqvitur ejus *punitio. Et ecce*, inqvit Dominus, *dabo te in manus odientium te, & destruent lupanar tuum, & demolientur prostibulum tuum*, scilicet locum, ubi exercebas injusta. *Et denudabunt te vestimentis tuis, & derelinqvent nudam, plenam ignominia;* Ecce, quid Ecclesiæ sit venturum

Pœna.

turum. Et subdit *causam*, dicens: *Soror tua Samaria*, id est, synagoga, *dimidium peccatorum tuorum non peccavit, sed vicisti eam sceleribus tuis, ergo & tu porta confusionem tuam.* Multa ibidem his similia reperiuntur, & in Esaia, Jeremia, & cæteris Prophetis, quæ transeo causa brevitatis.

Circa secundum, licet non sit nostrum nosse tempora, tamen ex quibusdam signis potest suspicari, quod hæc persecutio cito sit futura. *Signa*

Unum potest sumi ex verbis Apostoli in epistola ad Colossenses, ubi ait: *Nisi venerit dissensio primùm.* Qvod Hieronymus exponit de Romani Imperii desolatione, inter quam & persecutionem primam nullum ponit medium. Nunc autem, qualis sit *imperii status*, vos judicate. Qvædam vero glossa ibidem dicit, quod erit *dissensio aliarum Ecclesiarum ab ipsa Romana.* *Quassatio imperii status.* *Dissensio Ecclesiarum à Romana.*

Aliud signum erit, quando *Ecclesia erit pejor moribus*, quam fuerat synagoga, juxta verbum Ezechielis: *Vicisti sororem tuam sceleribus tuis.*

Pharisæos notavit Christus de *avaritia*, qvia permittebant vendi columbas in templo Dei, & de hoc, quod solùm labiis honorabant Deum, & quod erant *hypocritæ:* Videatis igitur, si pejus est, *sacramenta & beneficia vendere*, quam permittere vendi columbas in templo; Si sint aliqui, qui non solum non faciunt bona, sed nec dicunt, nec prædicant; Si sint aliqui, quorum insolentia & malitia ad modum ignis in tantum succensa est, quod *nullo potest hypocrisis pallio operiri*, sed facti sunt *inverecundi.* Unde Ecclesiæ improperando dicitur: *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* *Mores pravi Ecclesiasticorum.* *Hypocrisis.*

Tertium signum sumitur ex proportione *inæqualitatis nimiæ Ecclesiasticorum membrorum.* Qvia alius quidem esurit, alius vero ebrius est. Sicut enim *ad bonam harmoniam* requiritur *inæqualitas moderata*, quæ si nimis excedit, tollit melodiam: Sic, secundum Philosophum, *propter immoderatam disparitatem civium corrumpitur politia.* Non reperitur autem in historiis, quod unquam fuerit aliqua civium politia, in qua *tanta* esset *differentia sacerdotum, ut hi quidem* essent *majores quam Principes seculi, cæteri* vero *deteriores vulgo.* Videmus etiam, quod si nutrimentum fluat ad unum membrum, ita ut *enormiter ingrossetur, & alia nimium macerentur*, non potest corpus diu vivere. Sic etiam *in corpore reipublicæ Ecclesiasticæ.* Ideo dicit Propheta. *Omne caput langvidum.* Et seqvitur de corpore: *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas:* Inferioribus præ inopia non potentibus vivere, & superioribus excessu divitiarum impeditis à bono opere. Et ecce periculum quidem sequitur: *Vulnus & livor, & plaga tumens.* Vulnus divisionis & *discordiæ.* Livor rancoris & *invidiæ.* Plaga tumens rebellionis & *contumeliæ.* *Arrogantia superiorum Ecclesiasticorum.*

Qvartum signum est *fastus Prælatorum.*

Fuerunt autem quidam, qui fatue disputaverunt de paupertate Christi, & invexerunt in Prælatos, quia non sunt, sicut depinguntur Apostoli. Sed hæc phantasia venit ex ignorantia moralis Philosophiæ & Theologiæ, & defectu naturalis prudentiæ. Qvoniam in omni gente, lege vulgata, de jure, quod est proprie naturale, sacerdotes habue- *Fastus Prælatorum.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

runt, & debent habere, unde possint honestius vivere quam populares, & Prælati quam subditi.

Sed ex hoc non conceditur equitaturæ seu *familiæ superflua pompa.* Qvæ raro potest absque superbia duci, & salva justitia sustineri.

Talis fastus in Ecclesia Dei, maxime temporibus istis, non tantum movet paucos ad reverentiam, quantum multos ad indignationem, & plures invitat ad prædam.

Tyrannia Ecclesiæ præsidum.

Qvintum signum est *tyrannia præsidentium*, quæ cum sit res violenta, durare diu non potest. Tyranni proprietas est quærere non commune bonum subditorum, sed proprium. Tales sunt *pastores, qui non pascunt gregem Domini sed semetipsos:* Contra quos vehementer Ezechiel, & finaliter concludit: *Cessare vos faciam, ut non pascatis ultra gregem meum, liberabo eum de ore eorum, & non erit eis ultra in escam.*

Indignorum ad sacra promotio.

Sextum signum est *promotio indignorum*, & *vilipensio meliorum.* Hoc enim secundum Aristotelem est *malorum causa*, maximaq; occasio dissolutionis politicæ.

Civilis rei concussio.

Septimum signum est *tribulatio politiæ secularis*, & commotio popularis, quæ in multis partibus jam experta est. Et quid ait Seneca? *Mala dedignantur sola venire.* Timendum est, ne postea Ecclesiastica politia intrinsecus patiatur, & impleatur quod ait Jeremias: *Contritio super contritionem &c.* Et illud Ezechielis: *Adducam pessimos de gentibus, & possidebunt domos eorum, & sanctuaria eorum.* Conturbatio super conturbationem. Auditus super auditum, & lex peribit à sacerdote, & consilium à senioribus.

Impœnitentia cleri.

Octavum signum est *recusatio correctionis.* Et forsan de *Principibus Ecclesiæ* verificabitur illud Jeremiæ: *Noluerunt attendere, & cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent verba, quæ misit Dominus.* Hoc autem implebitur, quando Prælati veridicos & sanctificos habebunt injustos, sicut de eis dicit Amos Propheta: *Odio habuerunt corripientem, & loquentem perfecte abominati sunt.* Et ideo de talibus etiam loquitur Dominus per Hoseam Prophetam dicens: *Qvia repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Et iterum: *Qvia oblita es legis Dei tui, gloriam filiorum tuorum in ignomiam commutabo, & erit sicut populus, sic sacerdos.* Multa siquidem alia dicta sunt in Prophetis de *ejectione sacerdotalis honoris.*

Alia ruinæ indicia.

Et præter hæc sunt & alia signa, utputa, *recessus justitiæ, & penuria sapientum, prælatio puerorum, & novitas opinionum.* Qvibus attentis judicari potest, si præsentia tempora sint secura.

Qvantum ad tertium, *quatuor cogitationes* possunt hominibus circa hoc occurrere, quibus tamen sacri canonis contradicit autoritas.

Objectio 1 Cleri securi de Ecclesia duratura. Resp.

Una est nimis confidentium atque dicentium, quod Prælati sint Ecclesiæ, quam semper Dominus custodiet, nec deseret eam, sicut promisit, dicens: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Sed hoc intelligendum est quantum ad fidem, de qua Christus dixit Petro: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Et ne forte aliqui se putent à turbatione securos, quia sunt *de Ecclesia*, dicit Dominus per Jeremiam Prophetam: *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini,*

Domini, templum Domini est. Et paulo post: *Vos confiditis in verbis mendacii, quæ non proderunt vobis.*

Alia est opinio prorogantium, contendentium, quod Ecclesia perturbabitur, sed non ita, quia multæ causæ prætactæ & multa signa aliàs extiterunt. Et dudum per sanctos Doctores, Gregorium & Bernhardum, fuerunt reprehensi Prælati de receptione munerum, de pompis, & de promotione indignorum, & aliis vitiis; & tamen adhuc usque nunc prospere stetit Ecclesia. Hi non vident, quod, *si domus aliqua diu fuit ruinosa, propter hoc non est à casu remotior aut minus periculosa.* Etiam multoties accidit in Principibus, quod posteri temporaliter pœnas portant pro peccatis prædecessorum. Contra hos in Esaia dicitur: *Subito & cito, dum non speratur, veniet contritio.*

Exceptio 2. Antiquas illas esse querelas. Resp.

Tertius error est valde perversus, qvorundam dicentium: *Veniat, quid poterit.* Conformemus nos huic seculo, temporisemus sicut hi, qui dicebant: *Fruamur bonis, quæ sunt &c.*

Effugium 3. Nil curandum. Resp.

Tales sunt valde periculosi Ecclesiæ Dei. Contra quos dicit Dominus: *Omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, & ego in interitu vestro ridebo, cum venerit super vos repentina calamitas.*

Qvartus est error *diffidentium*, quibus *non videtur* in hoc *posse dari remedium*, sed quod, sicut alia regna suam habuerunt periodum, ita necesse est, quod hujusmodi Ecclesiæ duratio capiat finem, exigentibus demeritis & observationibus gubernantium. Juxta illud Jeremiæ: *Si potest Æthiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum vos malum didicistis.* Et iterum de Juda significante Ecclesiam dicitur: *Peccatum Judæ scriptum est stilo ferreo*, quasi dicatur, quod est indelebile. Et similiter de pœna in Ezechiele scribitur: *Ego eduxi gladium meum de vagina sua, irrevocabilem.*

Dubium 4. Immeditabile malum esse.

Sed hæc *non* significant *impossibilitatem*, sed bene *difficultatem*, qua *perversi difficile corriguntur.*

Resp.

Unde opinio *de immutabilitate futurorum* non solum adversatur Theologiæ & Philosophiæ, sed etiam astronomiæ. Propter quod dicitur per Jeremiam: *Noli subtrahere verbum, si forte audiant, & convertatur uniusqvisqve à via sua mala.*

Et multa sunt Scripturæ exempla, qualiter Dominus placatus est, ne faceret mala.

Qvantum ad qvartum: Restat dare salubre *consilium.* Et istud concluditur ex prædictis. Videlicet, quod licet secundum præmissa super Ecclesiam sit tribulatio præparata, tamen *si mores nostros in melius reformemus, si fastus nimios* cum prudentia & modestia *temperemus*, si corde & opere ad Deum recurramus, ipse modo inæstimabili nos juvabit, & à flagellatione cessabit, sicut ipse per Jeremiam ait: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, ita & ego nolo, quod cogitavi facere.*

Emendationis ac reformationis consilium.

Unde ad Dei misericordiam postulandam nos debet non solum impellere *timor tribulationis* prope imminentis, sed etiam *spes & amor salutis* attrahere.

❁ ❁ ❁

Est

Est hæc oratio *Petri de Bruxellis*, sive is idem sit qui *Petrus de Bruniquello* audit *Schiphovero*, *in Chronico Archi-Comitum Oldenburgensium*, apud Illustrem *Meibomium Tomo II. Rerum Germanic.* sive alius. Digna profecto, quæ, luculentum illius ætatis testimonium, conservetur, ac, ut caveant, posteris commendetur. Felix quippe, quem faciunt aliena pericula cautum.

Repetita pari fine in Concilio Constantiensi à viris doctis *Petri Blesensis de Ecclesiæ illius temporis fatis auguria*, ante illius celebritatem quidem consignata, sed digna visa viris magnis, quæ in Concilii motibus legerentur atque cleri oculis exponerentur. Qvare ex *epistolis Blesensis* aureolæ huc facientes tunc sunt excerptæ descriptæqve. Qvales & in Codice *MSCto Dorriano Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* exhibentur. Cæterum, quia locus hic & operis hujus moles non capit universa ad rem hanc arduam pertinentia, calculo *Petri de Bruxellis* hic acquiescemus, *Mauritium de Praga* in illustri Concilio non sine autoritate dicentem audituri.

MAURI-

MAURITII DE PRAGA
Inclyti Theologi
In Concilio Constantiensi florentis

CONSILIUM
DE ECCLESIASTICO STATU IN CONCILIO CONSTANTIENSI EMENDANDO.

Ex vetustissimo MSCto
Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis.

Habeo vobis dicere, *Joh. XVI.* originativè, & in officio Missæ transumtive.

Reverendissimi Patres, Domini Magistri, ac bases & columnæ atque paxilli tabernaculi testimonii, Exodi XXVII. figurati.

Locuturus vestræ beatitudini in quadam ancipiti versor sententia. Ut gravatis mœstitudine mentibus quidam diffidentiæ *torpor* obrepserit *in dicendis.*

Tum, *propter auditorum dignitatem.* Terribilis beato *Gregorio* (prope finem *Sexti Moralium*) nuncupatur, dum ait: *Cum talibus doctrina mens polleat, gravis est imperitia, velle docere meliores. In eo namq; verba vim suæ rectitudinis amittunt, dum auditori non congruunt, nam & medicamina vires perdunt, cum sanis membris apponuntur.*

Tum, propter morum pravitatem. Qvia, ut idem ait *in Pastorali, durum est, ut, qui nescit moderamina suæ vitæ, fiat judex aliena.*

Tum, *propter dicendorum tarditatem.* Nam, ut scribit Petrus *Damianus*, *dum sermo Dei curiosorum auribus promitur, utrum artificiosi styli lepor adsit, attenditur, Rhetoricæ venustatis color inquiritur, & captiosos Syllogismorum atque enthymematum circulos mens curiosa rimatur.*

Super qua tarditate licet præceptum habeamus, quo in templo Dei *lucus infructuosæ loquacitatis* plantari prohibetur, *Deut. XVI.* Et cuncti procul dubio scimus, quod, quoties malæ segetis culmi proficiunt, spicarum grana minori plenitudine turgescunt. Tamen salvator, in cujus manu sunt & sapientia, & operis & scientiæ disciplina, *Sap. VII.* à quo est & nostra sufficientia, *II. Cor. III.* nostram solatur penuriam, inquiens, ubi thema, *multa habeo vobis dicere, sed nō potestis portare modo, cum autē venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Igitur pro impetranda ejusdem adventatione, matrem virginem eodem plenam spiritu salutemus, mente serena dicentes: *Ave Maria gratia plena.*

Habeo vobis dicere, ubi supra.

Qvia secundum beatum *Gregorium, V. sermone in Moralibus*, in oratione, quando dicitur, necesse est, ut tempus, causa, & persona pensentur, si verba sententiæ veritas roborat, si hanc tempus congruum expostulat, si veritatem sententiæ & congruentiam temporis personæ qualitas non impugnat. Ille enim laudabiliter spicula mittit, qui prius hostē conspicit, quàm feriat. Hæc *Gregorius.* Cumq; gradus dicibilitatis consurgant ex gradibus entitatis, propter stylum veritatis: Hinc, quia primùm *propter reformandam corporis Ecclesiastici unitatem*, secundo *propter excludendam rectitudinis pravitatem*, tertio *propter erigendam sacerdotii dignitatem*, vos *congregatos* video: Qvamobrem *super illis tribus vobis dicere habeo*; Urgentibus, fructuosæ fidelitatis *necessitate*, ut aliquem fructum in vobis habeam *Rom. I.* imperiosæ noscibilitatis *auctoritate*, quam habeo à vobis, quibus datum est noscere mysterium regni Dei; animosæ dicibilitatis *utilitate*, qua Salvator permotus ait: *Simon habeo tibi aliquid dicere Luc.* VII.

Scopus Concilii Constantiensis reformatio regiminis Ecclesiastici.

Cumqve omne dicibile vel est *honestatis*, quale est *reformatio Ecclesiasticæ unitatis*, quoad primum: Vel *utilitatis*, quale est

est *exclusio recidivæ pravitatis*, qvoad secundum: Vel *delectabilitatis*, quale est *erectio sacerdotalis dignitatis*, quoad tertium:

Ecclesiarum dissidentium unio quæsita in Concilio Const.

Liqvet pro primo, quod perveniri ad *reformandam corporis Ecclesiastici unitatem* non potest nisi per hoc *medium primitivæ Ecclesiæ, ad cujus formam seu sanctiones Ecclesiasticas disponitur Ecclesiæ præsentis reformatio*, videlicet, ut sit vobis cor unum, & anima una in Domino *Act. IV.*

Reformatio Ecclesiæ in Concilio Const. erat ad exemplum primitivæ Ecclesiæ instituenda.

Tum quia in ipso solo duntaxat nostra *scismata* uniuntur, dicente beato *Augustino Confessione prima ad Dominum: Fecisti nos ad te: Inquietum est cor nostrum, nisi quiescat in te.* Et infra lib. X. *In omnibus his, quæ percurro, consulens te in creaturis, non invenio locum animæ meæ, in quo colligantur sparsa mea, nisi in te. Qvod nisi in te, recedit à me. Cujus significat necessitatem Salvator dicens: Martha, Martha sollicita es & turbaris erga plurima: Porro unum est necessarium Luc.* X. Super quo B. *Augustinus in homiliis: Præponitur unum multis. Non enim à multis unum, sed multa ab uno sunt. Multa sunt unius, qui fecit.* Hæc ille.

Præsidum Ecclesiæ concordia optima Ecclesiæ unio.

In quo facta prælatorum communio, est Ecclesiæ unio: *A quo* eorundem divisio, est Ecclesiæ scissio.

Qvod sic svadetur. Vera Ecclesia universalis constat in particularibus, secundum *Augustinum de civitate Dei, Lib.* XVI. *cap.* IV. Particularis autem Ecclesia prælatorum particularis per Salvatorem dicitur *Matth.* XIIX. *Si te non audierit, dic Ecclesiæ.* Igitur si particularium prælatorum in Deo communio est Ecclesiæ universalis unio: Sic eorũ *à Domino per peccatum divisio, fuit schismatis occasio.*

Dissidia prælatorũ occasio schismatũ Ecclesiæ. Prælatos suam decet agnoscere culpam.

Sed, inquis, *durum est, de Prælatis talia sentire.* Respondeo, *utinam ipsi* agnito crimine *talia de se sentirent.* Nam cum beato *Augustino de Civit. Dei lib.* 14. *cap.* 14. audeo dicere: *Superbis est utile, cadere in aliquod apertum, manifestum peccatum, ut sibi displiceant, qui sibi placendo ceciderant. Salubrius enim sibi Petrus displicuit, quando flevit, qvam qvum sibi placuit, quando præsumsit. Hinc ait Propheta: Imple facies eorum ignominia & quærent nomen tuum Domine, qui sibi placuerunt quærendo suum. Sed pejor est superbia, qua in manifestis peccatis quæritur suffragium excusationis, sicut ille, quorum unus dixit: Domine, mulier, quam dedisti mihi, & illa & serpens seduxit me. Nusquam sonat hic petitio veniæ, nusquam imploratio medicinæ. Nam licet non negent, sicut Cain, tamen in alium quærunt referre. Qvod perperam fecerunt, quasi quidquam Deo, cui crederetur, proponendum foret. Unde non excusatio, sed potius vera accusatio est, ubi mandati divini est aperta transgressio.* Hæc ille.

Prætextus metus in electione Pontificis novi ante Conciliũ Const. tempore schismatis, rejicitur. Cardinales debere esse metus expertes.

Nec *allegatio metus* subvenit, *qui in schismate intervenerit.* Beato *Augustino super Joh. XII. Qvi amat animam suam perdit eam*, dicente. *Cum iste articulus venerit, ut aliquid faciendum sit contra Dei præceptum, aut ex hac vita migrandum, comminante mortem persecutore; Ibi eligat homo Deo dilecto mori, quam offenso vivere.* Hæc Augustinus.

Et quia *portatores rubei capelli sunt Papæ electores*, ex signo rubedinis profecto sunt per Ecclesiam in statu martyrum. Est autem verendum, metum mortis martyribus adscribere. Qva in re non est fugiendum. Qvod seculares, qui assimulantur corpori, sicut Ecclesiæ prælati Spiritui, possint Ecclesiam scindere. Qvod ex conditione status innocentiæ colligitur, in Adam, in quo tunc fuit universalis Ecclesia, dicente Apostolo *Rom. VI.* in quo omnes peccavimus, secundum *B. Augustinum lib. XVI. de civit. Dei cap.* 26. Legem datam omnibus, in Adam prævaricantibus, si spiritus Adæ, sicut in conditione acceperat, servasset unicus per *obedientiam*, nunquam etiam ab eo descendens scissuram sensisset, nec corpus ejus spiritui rebellare potuisset, ex sententia beati *Augustini lib. de civit. Dei cap.* 2. *It. l.* 60. *cap.* 1. Sed spiritu Adæ scindente se per peccatum à Deo, mox etiam universalis ab eo descendens pravitatem schismatis persensit, Propheta dicente: Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, corrupti, & abominatio facti sunt, *Ps.* 13.

Prælatorũ Ecclesiasticorum peccata, schismatis semina.

Et à similibus *prælatis, in Ecclesia peccantibus*, schisma in Ecclesia est seminatum. Et sicut in Adam, spiritu peccante in Deum, mox sensualitas rebellavit spiritui: Sic *prælatis Ecclesiæ*, à Deo se separan-

parantibus, mox seculares protervire cœperunt, Domino per Prophetam dicente figurate *cœtui prælatorum: Numquid servus est Israel, aut vernaculus? Quare ergo factus est in prædam. Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem suam, posuerunt terram ejus in solitudinem, civitates ejus exustæ sunt, & non est, qui habitat in eis, filiiq; Noph & Taphnes constupraverunt te usque ad verticem. Numquid non istud factum est tibi, quod dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat per viam, Jer. II.*

Paranesis ad seriam pœnitentiam cleri.

Quamobrem *Reverendissimi Patres*, postquam divites facti estis in omni verbo & omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis: Ita, ut nihil vobis desit in ulla gratia: Obsecro vos per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut non sint in vobis schismata *I. Cor. II. Schismata*, inquam, nec *quoad Deum*, nec *quoad proximum*. Quoad Deum, dico: Quia sunt contra naturam, secundum beatum *Augustinum de civit. Dei lib. XI. cap. XVII.* Vitium ita est contra naturam, ut non noceat nisi naturæ. Nec esset vitium recedere à Deo, nisi naturæ, cujus est vitium, cum peteret esse cum Deo.

Quamobrem pro exclusione *schismatis quoad Deum*, scrutetur unusquisque conscientiam suam, sicque ante se statuat proprii censuram judicii. Si in secreto cordis illam, quam Christus dat, invenit pacem, si desiderium spiritus nulla concupiscentia carnis impugnat, si humilia non spernit, similiter alta non appetit, si immoderate rerum suarum non gaudet augmento, si aliena felicitate non uritur, aut inimici miseria non lætatur, si ejus justitia nec adulantium potentia, nec propinquorum gratia, nec muneris vilescit pretio.

Et cum harum *perturbationum* nihil in se forte reperit, sincero disquirat examine, qualium frequentetur *cogitationum* species, & utrum nullis *vanitatum* acquiescat *imaginibus*. Nam nullis illecebris commoveri, nullis cupiditatibus titillari, non est istius vitæ, quæ tota est tentatio, & qua nimium vincitur, qui ab eadem vinci non veretur. Superbum est enim de non peccandi facilitate præsumere, cum hoc ipsum præsumsisse sit peccasse. Hinc beatus *Augustinus de Civ. Dei lib.* XIV. *Cap.* X. ait: Nunc satis bene vivitur, si sine crimine. Sed qui sine peccato se vivere æstimat, non agit, ut peccatum non habeat, sed ut veniam non accipiat. Et infra *lib.* XXII. *cap.* 23. Sciamus, quantumlibet virtute pugnandi vitiis repugnemus, vel vitia superemus, quamdiu sumus in hoc corpore non deesse nobis posse. Unde dicamus Deo: Dimitte nobis debita nostra.

Dico secundo: Non sint *schismata* in vobis *quoad proximum*, ipsa etiam repugnante lege naturæ: De qua beatus *Augustinus* prope finem *XII. libri de Civ. Dei*: Nihil commodius contra vitium discordiæ, quam recordatio illius parentis, quem ideo Deus creavit unum, de quo multitudo propagaretur, ut hac communicatione unitas in multis servaretur.

Affectus in Concilio Const. refrenādi. Lites & odia à Concilio exulare jubentur.

Quæ unitas tunc cernitur, si *ab hoc sacro concilio* affectiones causarum particularium, *lites* generantium, & *odia* unitatem catholicam retardantia proscribantur. Qualiter in exordio conciliorum per Constantinum *in primo Historia Tripartita* factum fuisse narratur. Secus, si invicem mordetis, & comedetis, videte, ne *ambitione* consumamini *Galat. V.* novissima pejora prioribus relinquentes.

Ista non fonte labia prolui caballino, nec in bicipiti sum Parnasso perfusus mero. Quia, ut verbis utar Apostolorum Principis, non doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem & præstantiam, sed speculatores facti illius magnitudinis, 2. *Petr. I.* De qua habuimus vobis dicere quoad primum.

Simonia Concilio Const. opa extirpanda.

Dixi secundo, quod *propter excludendam recidivi pravitatem congregatos vos* video. Hinc secundam conclusionem vobis dicere habeo, videlicet, quod schismatis recidivi rationem non potestis providere, nisi *per extirpationem Simoniæ*. Quæ sic suadetur. Figuræ veteris legis & Ecclesiæ non verificantur, nisi ex figurato nostræ Ecclesiæ, dicente beato *Augustino XII. de Civitate Dei cap.*

cap. VII. Nihil enim prodest Testamentum Vetus de monte Sina in servitutem, nisi quod Testamento Novo testimonium perhibet.

Simonia Judaica Reipublicæ exiliũ peperit.

Sed status veteris legis & Ecclesiæ non est destructus nisi per Simoniam. Quod patet quadruplici testimonio.

Primo Prophetæ dicentis: *Audite hæc Principes domus Jacob, & judices domus Israel, qui abominamini judicium, & omnia recta pervertitis, qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Hierusalem in iniquitate. Principes ejus in muneribus judicabant, & sacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant, & super domum requiescebant, dicentes: Numquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala; Propter hanc causam turris Sion quasi ager arabitur, Hierusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelsa sylvarum. Michæ III.* Et rursum *Hoseæ III. Sedebunt filii Israel sine rege & sine Principe, & sine sacrificio & sine altari, & sine Ephod, & sine Teraphim.* Quæ heu citius etiam veniebant.

Christus Simoniacos expulit ex Ecclesia.

Secundo confirmatur testimonio Salvatoris, quo ait *Simoniacis*, quos de templo ejecerat: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti fructus ejus. Matth.* XXI.

Tertio per beatum *Augustinum.* Quod ignis sacrificii, qui LXX annis vixit sub aquis, vendente Antiocho sacerdotium Jasoni, est extinctus: *Extinctionem sacerdotii* ostendit.

Simonia natura.

Quarto ostenditur ex multitudine figurarum. Cùm enim *Simonia* sit *inordinata voluntas commutandi temporale pro spirituali, & è contra.*

Et non dico, *studiosa voluntas* commutandi. Quia studiosa commutatio est laudabilis, Apostolo dicente: *Si vobis seminamus spiritualia, non magnum est, si nos carnalia vestra metamus* &c. Ita enim & Dominus ordinavit *I. Cor. IX.* Qui etiam commutationem hujusmodi persuasit dicens: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum deficiatis, recipiant vos in æterna tabernacula Luc.* XVI.

Proinde dixi, *inordinata voluntas.* Quia procedit ex inordinato amore, odio vel pretio *forisandi spirituale pro temporali.* Regnum vero Salomonis scissum est propter *inordinatum amorem* mulierum, commutantem cultum Dei in cultum Diaboli temporalem, idololatrando. III. Reg. XI. Regnum vero Roboam infra XII scissum est ab eo *propter odium* &c. quo detestatus est senum consilium, juvenum amplexans. Regnum vero Jeroboam ablatum est ab eo similiter *propter inordinatum pretium,* quod recipiebat vendendo sacerdotium. Dicitur enim ibidem *cap.* XIII. quod Jeroboam de novissimis, id est, de vilissimis populi, fecit sacerdotes excelsorum. Et propter hanc causam domus Jeroboam eversa & deleta est de superficiebus terræ.

Simonia figura in Salomone, Rehabeã, Jerobeã.

Liquet ex relatione figurarum ad figurata, quod *regnum Ecclesiæ* primo *scinditur propter regentium meretricia, quæ emuntur ex provisione Ecclesiastica,* exemplo Salomonis, Quæ, inquam, provisiones sunt bona spiritualia, sicut infra probabitur, quæ commutantur pro temporalibus & momentaneis meretriciis.

Decreta Patrum contra Simoniam parvi facta.

Secundo *propter contemtum sanctionum & decretorum sanctorum Patrum contra pravitatem Simoniacam,* & amplexionem novitatum, exemplo Roboam, asserentium, *in Papam non posse cadere Simoniam.* Vere mendacium operatus est stylus scribarum mendax. Nam si in nova lege *in Judam,* electum à Christo discipulum, æqualem tunc Petro, accidit *simonia,* qui etiam personam in divinis æstimavit XXX argenteis: Quomodo non *in Papam, in Apostolatum ab hominibus electum?*

Effugia veterum: in Papam non cadere Simoniam. Resp.

Sed cur in Judam cecidit? Revera, quia de Christo *malam fidem* velut hæreticus habuit. Et tales sunt omnes *simoniaci.* Ait enim *Remigius* in præfatione tertii Psalmi: Quod Judas non credidit, Christum esse Dei filium, sed quendam magum & sacrilegum.

Simoniaci hæretici.

Simoniaci vero *pejus de Spiritu sancto, quam hæretici sentiunt,* teste beato Augustino contra Maximianum, qui Spiritum sanctum dixit esse servum Patris, & Filii, *Simoniaci eum dicunt esse servum denarii.*

Simoniaci pejores hæreticis.

Et

Pretexto alius. Et in adjutorium erroris assumitur, *quod Papa non vendat spirituale, sed solum annexum temporale*, cum quo transit spirituale, quemadmodum jus patronatus, cum emtæ villæ hæreditate. Sed his respondetur, quod errant, nescientes divinas Scripturas, quibus docemur, quod temporale ipso facto annexionis dedicetur, ut consecretur & commutetur in spirituale. *Resp.*

Proinde, si venditur, profecto venditur ut spirituale. Quod patet ex *ratione & autoritate.*

Ratione, inquam. Qvia corpus Christi non est de se spirituale, in eo, quod corpus: Secundum rationem annexionis divinitati, quæ est supremus spiritus, dicitur esse spirituale, quamvis in substantiam spiritus divini non transierit, sed corporale remanserit: Sic similiter de provisionibus temporalibus, quæ annectuntur spiritualibus, est censendum.

Autoritate, inquam, qua Ecclesiæ loquitur Dominus in lege veteri, *Levitici ultimo*; Quicquid semel consecratum fuerit Domino, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, quia sanctum sanctorum erit, Domino loquente. Et in nova, *Matth. XXIII.* quod altare significat donum sibi impositum, & ita donum est spirituale. Qvia sanctum Deo, non homini dedicatum. Unde sacerdos, dans denarium Deo dicatum pro meretricio, *crimen simoniæ* incurrit. Secundum quam sententiam *oblata non dicuntur sacerdotum* proprie, *sed Dei.* Quemadmodum Dominus Salvator, dicens: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, non subdit: *Reddite sacerdotibus, quæ sunt sacerdotum*, sed *quæ sunt Dei, Deo.*

Ut Papa intelligat, *non* se esse *spiritualibus annexorum Dominum*, sed *dispensatorem* & villicum. Et pro tali est reputandus, secundum Apostolum, dicentem: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum.*

Sed quia hic jam quæritur in dispensatore, ut fidelis quis inveniatur, 1. *Cor.* 4. Quoniam *nostri Jeroboam* de vilissimis, qui manum eorum implebant, fecerunt sacerdotes: Sicut lamentabiliter colligitur ex Ecclesiæ *scissura*, *cui occasionem præbuit ipsorum simonia*: Qua de re *autoritate hujus sacri concilii, reformantis Ecclesiæ scissuram*, cicatrices simoniæ sunt medendæ. *Reformatio Concilii Const. simoniam voluit abolitam.*

Primo, quatenus hujusmodi *simoniaci* charitative *commoneantur*, ut digne pœniteant, aut saltem *cum Juda* proditore, primo novæ legis simoniaco, resignantes, beneficia percepta *restituant*, quemadmodum Judas projectis argenteis, nec tamen se suspendant, *Matth. XXVII.* *Modus Simoniacos emendandi.* *Restituat.*

Nec sunt censendi extare alii modi pœnitendi. Nam sicut in omni genere primum est mensura omnium secuturorum, ex *X. Metaphys.* sic *Judæ, primi novæ legis Simoniaci*, pœnitentia, suscepto *suspendio, est regula pœnitendi* omnium Simoniacorum sequentium. Et, si pœnitere noluerint, ex tunc ejiciantur de beneficiis usque ad electionem summi Pontificis, exemplo concilii primi, *Esdræ II.* Ubi Veteris legis Ecclesia, dispersa per captivitatem Babylonicam, in reditu Hierosolymæ, redintegrata non legitur, nisi ejectis sacerdotibus, qui de justo beneficii titulo docere nequibant. Ait enim *de filiis Abia* &c. *Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non invenerunt, & ejecti sunt à sacerdotio, ut non comederent de sancto sanctorum*, id est, de cibo pertinente ad sacerdotes, donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus. Tunc enim sacerdotium autentice transibat per *successionem* hæreditariam, qualis fuit *Aaronitarum* divinitus olim autentata *Exod. XXVIII.* Et hæc successio per lineam genealogiæ legitimam dabat tunc nisi beneficii titulum. Qui cessavit post partum virginis, quo *sacerdotes, castitatis professores*, promoventur pro spirituali sobole multiplicanda. *Cedant.*

Quod si de beneficiis nolunt cedere, ex tunc illi *expellantur* cum furore, exemplo Salvatoris, qui mansuetissime super asinam veniens eosdem zelanter ejecit, atque fures & latrones appellavit, ac *templum ratione simoniæ speluncam latronum*, *Matth. XXI.* *Expellantur.*

Ad quod simoniacos intrare prohibens, se ostium Ecclesiæ vocavit *Joh. X.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In cujus mysterium *Exod. XII.* ostium in utroque poste agni sangvine tingitur: Ostendens introitum in Christi sangvine duntaxat. Atq; aliter *intrantes, simoniace* videlicet, Angelo exterminatori tanquam incorrigibiles relinquit.

Plectantur. Tandem facta expulsione sunt acerrime *puniendi.* Ut patet in Gehasi IV. *Reg.* V. Cui Elisæus legitur dixisse: Naamani lepra adhærebit tibi, & semini tuo in sempiternum.

Cum autem non legatur Gehasi semen naturale reliquisse, constat, de mutato *cleri Simoniaci semine* Elisæum prophetasse, quasi desperantem de *Simoniacorum per Ecclesiam exterminatione.*

Tum primò, quia in Romana curia non deficient *servitores prælatorum* pro promotionibus. Qvam *servitutem* beatus Gregorius dicit *Simoniacam.* Qvia munus ab obseqvio.

Difficillimum negotium, Simoniacos ex Ecclesia eliminandi. Mansuros semper in Ecclesia Simoniacos. Nec secundo deficiunt *promotores honorantiarum & præsentiarum*, exemplo Gehasi. Qvi, sine pacto sanatione peracta, quamvis non consentiente Domino, tamen occulte, nomine sui Domini Elisæi, honorantias legitur recepisse tanquam *munus à manu* Simoniacum, secundum beatum Gregorium.

Nec tertio *procuratores* & *advocati* deficient, sicut nec *lites.* Qvas *operas* reputat beatus Gregorius *Simoniacas*, tanquam *munus à lingua.* Ait enim *libro moralium, nono capitulo:* Plerumqve nonnulla terena præmia appetunt, & justitiam defendunt, seqve innocentes æstimant, & esse defensores rectitudinis exultant. Qvibus si spes nummi subtrahitur, à defensione justitiæ cessatur. Et tamen defensores se justitiæ cogitant, seqve rectos asserunt, qui nequaquam rectitudinem sed nummos quærunt. Contra quos bene per Mosen dicitur: Juste quod justum est exequitur. Injuste quippe, quod justum est exeqvitur, qui ad defensionem justitiæ non virtutis æmulatione, sed amore temporalium excitatur. Juste autem, quod justum exequitur, quando nec laudes nec præmia ab hominibus expectamus. Hæc Gregorius.

Sed quid contra stimulum calcitro, ventum percutiens, postquam audio Prophetam dicentem: *Frustra conflavit conflator, malitiæ ejus non sunt consumtæ.*

Unum tamen infero, quod de partibus mecum attuli: Qvod *hoc sacrum concilium nullo modo ab infamia vulgari liberatur, nisi Simoniam exterminet.* Tum, quia communis vulgi opinio, qvanqvam falsa & hæretica, clamat, *Johannem Huß sententiatum* per concilium, tanquam severe judicarit ut Salvator, Simoniacos, contra quos ille damnatus acerrime prædicavit. *Conciliũ Const. teneri Simoniam exterminare.*

Hoc in medium deducere volui, tanquam secundum quod vobis dicere habui.

Dixi tertio, quod *propter erigendam sacerdotii dignitatem congregatos vos* video. Hinc vobis hanc conclusionem tertiam dicere habeo, quod dignitatem sacerdotii non potestis erigere, nisi pro posse conemini *promotiones puerorum, ignarorum & pravorum* destruere.

Ignaros & pravos ex clero per Const. Conciliũ esse exturbandos. Qvod svadetur: Qvia prædictorum prælatio, est ruinosa sacerdotii destructio. Igitur eorum destructio erit sacerdotii erectio. Talis consequentia capitur ab oppositis.

Et amplius patet inductive *autoritate, ratione & exemplo*, positio de prioribus.

Qvia *autoritate* prohibentur per Apostolum promoveri ad sacerdotium, *I. Tim. III.* Non neophytum in fide, nec *moribus novitium.* Qvales sunt pueri ætate vel probitate. Unde *puer centum annorum* maledicitur, *Es.* LXV.

Et *ratio.* Qvia propter pubescentem adolescentiam, qua seqvuntur passiones vitiorum, & propter inexperientiam, à regimine arcentur Ecclesiastico. Eo quod *ars artium est regimen animarum*, secundum beatum *Gregorium, primo Past. c.* II.

Porro si hujusmodi non sunt scientiæ morales, utiles auditoribus, *ex I. Ethic. cap.* II. quomodo erunt scientiæ moralis doctores? Qvales esse oportet Prælatos. Qvi non sunt in statu acquirendæ perfectionis, qvemadmodum religiosi secundum beatum *Benedictum cap. ult. sua Re.* Sed per amplius sunt in statu exercẽdæ virtutis & perfectionis, in alios prælatialiter diffundendæ. Qvemadmodũ tradit

tradit beatus *Gregorius*, *X. Moralium* dicens: *Summus locus tunc bene regitur, quando homo non hominibus, sed vitiis principatur. Qui ergo nescit propria vitia compellere, quomodo compescit aliena.*

Papam Johannē XXIII. inconsulto fuisse electum.

Ex quibus colligitur, quod *inconsulte Balthasar de Cossa electus est in summum Pontificem*, qui ab experimento non habuit statum exercendæ perfectionis, sed promittebat, se assumere statum acquirendæ perfectionis. Qvod prælatiæ repugnat.

Patet idem ab exemplo utriusqve testamenti. Nam in veteri lege *pastores* pecorum propter experientiam vocantur ad regimen hominum. Et in nova assumuntur similiter *piscatores*.

Ignari ad officia sacra non promovēdi.

Qvod autem *ignari arceantur à promotione Ecclesiastica*, patet *autoritate, ratione & exemplo.*

Autoritate inquam. Qvia *Prælati* animarum in veteri lege dicuntur *speculatores*, *Ezech. III.* In nova vero lege *Episcopi*, *Act. XX. Attendite vobis & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus vos posuit Episcopos*, id est, *Superintendentes*, secundum beatum *August. XIX. de civitate Dei c.* XIX. *Episcopatus* nomen græcum est, & *nomen* est *operis, non honoris.* Hinc propter defectum scientiæ & Superintendentiæ ignari arcentur à sacerdotio, Domino dicente: *Qvia tu repulisti scientiam, repellam ego & te, ne sacerdotio fungaris, Hoseæ cap. IV.* Et causam sive rationem assignat Propheta dicens: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Dei exercituum est. Malachiæ II.* Angelus, inquam, divinæ voluntatis, legationem ad homines sufficienter proferens. Qvia Dei perfecta sunt opera *Deutr. XXXII.* Unde & ait: *Scientiam Dei volui plus, quam holocausta, Ezech.* 17.

Hinc patet idem ab *exemplo*, quo Christus noluit *Apostolos* Ecclesiis præficere, volens ad cœlum ascendere, nisi per missionem sancti Spiritus *informatos sufficientissime*, dicens: *Sedete hic in civitate, donec induamini virtute ex alto, Luc. ult.* Et ex tunc, *Euntes in mundum prædicate, Marc. ult.* Et rursum *Act. I. Accipietis virtutem Spiritus supervenientis in vos, & eritis mihi testes* &c. In cujus mysterium coronam impetrabitis in fide, scientiam utriusqve testamenti accipietis, qvando signata signis concordant. Secus, secundum Gilbertum de abusion. nil stultius, propter signorum discrepantiam, quam *asinus coronatus, & speculator cœcus.*

Ecclesiastici imperiti.

Verum, quia *prælati Ecclesiastici* sunt *laicorum libri* & exemplaria, *in quibus debent legere humanitatem, castitatem, & omnem virtutem*, Salvatore ipsis dicente: *Vos estis lux mundi, Matth. V.* Lux, inquam, non solùm ut videatis, sed ut videamini. Qvemadmodum subdit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona:* Hinc *pueri & scandalosi* arcentur à prælatiarum regimine, tanquam *mala exemplaria*, nomen Domini blasphemantia, *in quibus legitur avaritia, luxuria, superbia & omnis malitia.* Unde merito tales libri forent corrigendi vel certe comburendi. Tum quia secundum B. *Gregorium, XVI. moralium*, sicut lectio viva est vita justorum, sic *scandalosa vita prælatorum est damnatio subditorum*, Domino per Prophetam conquerente: *Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos.*

laicorum libri.

Hæc vestræ sanctitati dicere habui, propter excludendum taciturnitatis dæmonium, cujus vitium Esaias Propheta sibimet imputans, *VI. Cap. Va*, inquit, *mihi, quod tacui, timens offensam regiam*, in tantum aggravat, ut se propter hoc removendum ab officio prophetiæ censeat, nec posse purgari, nisi per ignitum calculum, quod beatus *Hieronymus* misericordiam interpretatur.

Vos autem, ut omnia præmissa verbis concludam Apostolorum Principis, *II. Petr. I.* omnem curam subinferentes, ut universa onera Ecclesiæ Catholicæ supportetis, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem fraternitatis amorem, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim si vobiscum adsint & superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione.

Cui

Cui enim non præsto sunt hæc, cœcus est, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Qvapropter satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum. Hæc *Petrus*. Qvem introitum ipse præstare dignetur, qui est Deus benedictus in secula. Amen.

Ponderosum
hocce
CONSILIUM
DE ECCLESIASTICO STATU
In Concilio Constantiensi
emendando
à
THEOLOGO
MAVRITIO DE PRAGA
In Concilio Constantiensi
summis illius Assessoribus
A. M. CCCC. XVII.
datum,
Concilium hocce moderante
IMPERATORE SIGISMUNDO.
Nunc tandem
Ex vetustissimo ac pretiosissimo Codice MSCto
Augustissimæ Bibliothecæ
Cæsareæ Vindobonensis
In Academia Julia
A. M. DC. XCVII.
die XXIII. Febr.
erutum
Auspiciis
Serenissimi Brunsvicensium Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI
sub Imperio Augustissimo
MAGNI LEOPOLDI
CÆSARIS.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf